

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Avctores Latinae Lingvae In Vnvm redacti corpvs

Godefroy, Denis

[Genevae], 1585

De nominibus impositivis, ex Constantini censura

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-85](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-85)



DE NOMINIBVS IMPOSITIVIS,  
EX CONSTANTINI CENSURA.

Hæc Tito Probo tribuuntur.

DE PRÆNOMINE.



**V**ARRO *simplicia in Italia fuisse nomina* ait: existimationisque suæ argumentum refert, quod Romulus & Remus, & Faustulus, neq; prænomen vllum, neque cognomen habuerunt. Qui ab eo dissentiunt, aiunt matrem eorum Rhæam Syluiam vocatam: auum Syluium Numitorem: fratrem eius, Amulium Syluium: & superiores Albanorū reges, Capetum Syluium, Agrippam Syluiū: posterioresque duces, Metium Suffetium, & Tutorem Claudium vocatos: nec contenti iis, ad Sabinos transgrediuntur: & Titum Tatium, Numam Pompiliū, & patrem eius Pompium Pompiliū: eius deniq; regionis principes enumerāt, Putilianum Lauianum, Volesium Valentium, Metium Curtium, Atilium Summsileaticum. Hetruscis, recitant Larrem Porfenam. Ab Equiculis, Septimum Medium, primum regem eorum, & Sertorem Resium, qui primum Ius Feciale instituit. In hunc modū Varronis sententia subruitur. ¶ Romanos autem arbitrandum est ab *Albanis & Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse*: quoniam ab illis orti sunt. Omnia autem quæ ad vnumquemque nostrum desiniendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo *gens cognoscitur*; ideòque dicitur *gentilitiū*. Cetera ordine variantur. Nam quod præponitur, *prænomen*: quod pōst fertur, *cognomen*: quod ad vltimum dicitur, *agnomen*: quorum series non ita, vt exposui, semper seruata est. Animaduerto enim in consulum fastis, perplexū vsū prænominum & cognominum fuisse, dictum, Posthumum Cominium Aruntium: & Posthumum Ebutium Heluam, & Vopiscum Iulium, & Opitrem Virgineum Tricoscum, & Paulum Fabium Maximum. Quinetiam quedam cognomina in nomen versa sunt: vt *Cepio*: nanque hoc in Bruto, nominis locum obtinuit. *Gentiliū nomina* Varro pu-

tar fuisse numero & prænomina circa triginta. Pueris non priusquam togam virilem sumerent: puellis non antequam nuberēt prænomina imponi moris fuisse, Quintus Scruola autor est. Quæ olim prænomina fuerūt, nunc cognomina sunt: vt, Posthumus Agrippa, Proculus, Caesar *Opiter*, qui patre mortuo, auo viuo gignebatur: vt *Opiscus*, qui in vtero matris geminus conceptus, altero abortu eiecto, incolumis editus erat. *Hospes* prænomē fuit in eo qui peregrè apud hospitē nat⁹ erat, idq; habuit Lucretius Tricipitius collega Lucij Sergij. *Volero* enim in prænomē abiit, quia nolētibus nasci liberis parentibus videbatur, quo vsus est Pub. Philo. *Laertis* prænomen, est sumptū à larib⁹. Tuscū antè creditū esse, fuitque consularis. *Herimimus*, est prænomē Tito Virgineo Casto. *Statius*, à stabilitate: *Faustus* à fauore prænomen ceperūt. Tullius prænominatus est omnis gratia, quasi tollendus, o litera, in u, conuersa. *Sertor*, qui per sationē natus est, appellatus est. *Ancum* prænomen, Varro à Sabinis translatum putat: Valerius autem scribit, quod cubitum vitiosum habuit, quod Græcè vocatur *ἀγκύρα*. *Lucij* ceperunt appellari, qui ipso initio lucis orti erant: aut (vt quidam arbitrantur) à Lucumonibus Hetruscis. *Manij*, qui manè editi erant: vel omnis cāusa, quasi boni: Manum enim antiqui bonum dicebant. *Cneus*, ob insignē rem appellatus, quod vnum prænomen varia scriptura notatur: alij enim Neum, alij Gneum, alij Cneum scribunt; qui G litera in hoc prænomine vtuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera vsa est: olim enim dicebant frugmentum, nunc frumentum refertur: & gnatura modò natura. Igitur etiam qui in corporibus gigni solet, Gneus appellatur, Qui C. corruptione syllabæ delectari videntur. Qui Neus, leuitatem Gaij indicant, à gaudio parentum dicti. *Auli*, qui diis alentibus nascuntur. *Marci*, qui Martio mense geniti. *Publij*, qui prius pupilli facti erant, quàm prænomina haberent: alij omnis cau-

las, ex pube. *Tiberij* vocari cœperunt, qui ad flumen Tiberim nascebantur. *Titus* à Sabino nomine Tito fluxit. *Appius*, ab Acteo eiusdem regionis prænominè. *Cæsones* appellati sunt, qui mortuis matribus excæti erant. *Seruius*, qui mortua matre in utero seruatus est. *Spury*, patre incerto geniti, quasi Epoptæ. *Numerij*, sola patricia familia vsa est Fabia, idcirco quòd cccvi. apud Trebiam flumen cæsis: qui vnus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium vxore filij Numerij Iotalicij Malemitani, sub eo pacto, vt quem primum filium sustulisset, ei Numerij prænomen im-

poneret, obtemperauit. ¶ Antiquarum mulierum frequenti in vsu prænominata fuerunt, *Rutilia*, *Cesellia*, *Rodocilla*, *Mutrulla*, *Burra*, à calore dicta. Ista prænominata, à viris tractata sunt, *Caia*, *Lucia*, *Publia*, *Mærea*. Cæterùm *Caia* vsu super omnes celebrata est: fertur enim *Caia* *Cæciliam*, *Tarquiniij Prisci* regis vxorem, optimam lanificam fuisse, & ideo institutum fuit, vt nouæ nuptæ ante ianuam mariti interrogate quænam vocarentur, *Caia* esse se dicerent.

CAROLI

